

**VERBUM
ELOQUENS**



**NOMEN
VERBI**

O C G O D B B S S U

V V A A A A A A A A

I I V M W X Y H K K

L F F E T T N

Nasterec alfabetului
Lucian Strochi

UT REFLEXUS IPSIUS, POESIS

Lucianus Strochi Verbi primordialis poeta est, fructuosi plenique principii, quod nec ulla umbra mentis corruptricis, nec quaedam caeca rhetorica minatur, sed miratio tantum sui, ascensio atque incorporatio (*verbum = doloris haematoma*), in saecundae barbiensis vocis perspicuitate (verbum dictum negatio aliae pronuntiationis est), aequae ac in tremula naturalitate animationis: *verbum non repugnatio est / naturae / sed simplex huius haesitatio*.

Luciani Strochi ars poetica, in Verbi trilogia, attinet Rationi, post hominis prolapsus in fragmentum (seu vestigium) quod iam halo absoluti portat, fragmen quod, quamquam poematis simulacro minatur, tamen augetur elatione arcani continentissimi incorruptioneque obtundentis silentii.

Clamor haud iam clamatus, spina fluminis, scissio Ipsiis, alaque cogitationis signa sunt concitantis poeticae, cum oculorum, donec fulgur manet, tum confessionis, tamquam expiationis, donec aeternitas candens mordet.

Luciano Strochi, poesis non aliud est quam perfectus actus vocis, moribunda saevitudine (sitis se ipsam strangulans) et absoluto Ipsiis qui in Neminem refringitur: *spectabo te / quoad oculus fiam*. Nulla abalienatio, sed onus solum ex memoria evictum, usque ad perspicuitatem fragminis quod flabello statuum animi praefiguratum est.

Saevae et molestae res contingentes faciunt ut homo non derisorio absoluto, sed salutari fatalitati subiciatur: silentium fertile (verborum) est, vultus sicut falces premit, atque instantia/praesentia non alia sunt nisi flagitatio multiplicis quod in nemine nostrum manifeste invenitur.

Ignosce nobis adnominationem, sed Luciani Strochi poesis innat magmate poeticorum (ardentium, memorum), sicut antiquis Graecis mens mirabilibus poeticis incorporabatur. Ideo omnia, quae expressionem capiunt, morti

destinantur: aërea cicatrix, vulnus oculorum, palimpsestus scriptiois.

Lucianus Strochi auctor est mundi poetici, irradians densitate virium verbalium et, eodem tempore, trahens in absolutum instantia confessionis sine haesitatione expressae: super personam meam faciem traho/ sicut et vos super faciem personam trahitis aut: una confessione propius tibi adsum.

Hinc fortasse, suae *Monerae* et *CV*, ubi nobis cognoscere permittitur illum Lucianum Strochi se ipsum evolventem, sine paenitentia, sine syncopa, sine vilibus, amaris dolis. Ac sine ulla umbra exsaltationis possum affirmare nunquam me cognovisse, ante Lucianum Strochi, ullum poetam tanto desiderio dotatum omne genus poeticorum scribendi, omnem vilem mimesim sibi emendandi, omnem excedentem aluviem interdicens, usque ad mirabilem suppressionem sui ipsius nomine corrupti: somnus veni et lux sis/ lux veni et vulnus sis/ vulnus veni et verbum sis.

Nulla ferme mora inter scribere et legere est, acerbitas concomitandi facit ut Luciani Strochi ars poetica sit repentina imago quae tamdiu fulgurat, quamdiu animo prospici licet: *et animus meus reversus praefatio est.../ versus tantum meus ala angelica est*. Infinitivum praelongum ac mitigans cogitur refugere in breviationem mirationis, quae pronuntiatione mirifica est, aequae ac confessione implacabilis; creatio sacrificium est: verbum pater noster et fili, at scribere quaedam clavata formido est.

Ante mortem, puram aeternamque, poeta, suo demiurgi actu, unam solam opportunitatem habet, Verbum fieri: *de morte/ mea tantum vita aliquid iam dicere potest*. Sed omnia quae dicimus (quamquam mentaliter tantum), absente imaginatione, tamquam pura possibilitas manent, et animus noster periculum se ipsum perdendi adit, precariis rebus suffocatus: *aufferri a vulnere tam/ molestum quam auferri a verbo*.

Lucianus Strochi scribit ad animum suum servandum et eum sicut precem confitetur: *solus qui aliquid de animo meo scribere potest/ ipse sum*. Creationi Creatore opus est, cum homo nemo alius quam rex speculorum, et mundus princeps reflexuum sit.

Quod facit ut nos invisī perdamur, est levis haesitatio tantum, cum omnia quae sunt verbum fieri possunt, at omne, quod verbum est, Ratio est, in dissipatum fundamentum refracta: *aves sunt et non canunt/ nisi finem suum sentiunt/ tum canunt et suffocatae moriuntur/ proprio cantu.*

Recitatio poeticorum tamquam ascensio ad caelum est, usurpata signis solis precariis, litteris mortuis, quae permutatione nihilum solum animant (paginis aureis inveneris, ergo es), at haesitatione natura (essentialiter humana) non aliud facit nisi ineffabile praeterire: *verbum tegimentum cogitationis est/ nigram lucem complectens.*

Vulnus Ipsiūs praesentis faceret ut vitae territorium nobis quasi impossibile appareat, nisi verbum haberemus, utque verbum vulnus non sit (et homo cicatrix), ac vulnus nos lemmatibus mortificis non designet, nam monerae limen sunt aequae ac litus, dum aeternitas durat, id est unum punctum temporis: donec ex hoc mundo ad alteram vitam transitur: *lucis rationem responsum quaerens/ veritatem meam dicens in rogam ustus sum.*

Invocatio Verbi in Luciani Strochi carminibus sicut crucifixio (scissio) est in Daco-Romanicae linguae caelo, volatus caesus (angeli alas quattuor habent), fulgur captivum, Ipse subversivus, animus vivus, quasi memor essem cuius rei numquam me esse credidissem: *horologium despoliatum et sine brachiis/ vultus alienus speculum tuetur.*

Non potes fere intueri arcanum talis scriptoris qualis Lucianus Strochi: numquam excedens, tantae vis discernendi quae faciat ut sensus communis ipse erubescat, semper promptus ac spontaneus, superbiam aut vanitates deponens, semper ad sententiam communicandam paratus, sibi litterarum loci privilegium solum sunt condendi.

Lucianus Strochi nec cogitata, sententias, opiniones emittit, nec ardalio est, id est in errore, sed attingit, ut paucissimi nostrum, quod conceptionem nominamus.

Movet aequae vox sua, rhyhmica, aequalis, mitigans, oracularis ferme, quae non attinet splendido sonitu ad regalem rhetoricam.

Mihi occasio eum audiendi data est, sine ullo momento vilis urbanitatis ex parte mea, cum in bibliotheca Agapiae essemus, dicentem quomodo poesis nos a mortificatione

servare posset. Miratus sum tunc dictionem, rhythmum cohaerentemque argumentationem, alacrem naturalitatem suae poeticae lectionem. Deinde forte eum in TV vidi, per Daco-Romanicam poeticam, ab origine usque ad praesentia, mirabili cum naturalitate, inter nimbos decentis principis intellectus, navigantem.

Perfecto collocutore, non Lucianum Strochi alio imaginor, nisi in intimis absentiae, id est iuxta Creatorem, profitendo res altas, haud supplicem ad subvertens praesens tempus.

In conventibus eruditorum, ille praesens facit ut animi tranquillitas, non strepitus prioratus verbalis adsit. Et quid te altius fert quam scire tua dicta maiora tuis scriptis esse, tuaque scripta tamquam vulnus vivi esse, quemadmodum prosa sua quaedam fabulans est tractatio (de Paolo Coelho cogito) rerum quae in carminibus suis in nuce tantum apparet?

Accuser forsitan, ut saepe mihi evenit, dithyrambicae expressionis, sed in eo, quod ad Lucianum Strochi attinet, reor neminem malle eum contradicere, cum mihi Lucianus Strochi videatur ipsa nostra praedictio esse, communis, cohaerens atque aedificatoria.

GHEORGHE SIMON

**VERBUM ELOQUENS
NOMEN VERBI**

NOTATIO

eloquens venit verbum et ad me loquitur
„tuam aëriam depone loricam
ensem in terram fige fortasse
aliquid surget rosa vel suspiratio
equum sparge tuum sub ferrum transito
veni deinde ad me ut te notem
notam vel ignotam propter culpam
propter illam nunquam susceptam”
„veni ut vena te signem
vel rosa acriusque
ardente littera te metiar”
eloquens venit verbum et ad me loquitur
„tuum aërium depone corpus
oculum in speculum fige fortasse
aliquid surget rosa vel suspiratio
corpus sparge tuum subter claviculam
transito
os solum tortum
et deinde veni ut te signem
ut te spargam
veni meaque culpa esto
veni meaque sparsa culpa
esto”

SCRIPTIO

**en scribo et meae manus ossa longiora atque
subtiliora emedullata aëreque repleta fiunt**

en mea manus in alam mutatur

en verborum cera digitos meos

iungens

en carmen vestigium meae manus volantis

en lineae meae vestigia alae quae fuerat quondam

unguis

* * *

*pagina si nihil est aliud
quam vestigium noctis
o quam creverunt
candida in tenebris verba*

* * *

„vita tua est aliud nil quam verbalis amissio“

mi sapiens dixit ac festinavit tacere

INSUPER

insuper verbum verbi nubilum lamentatur

insuper noctem insomnium nudae paginae volvitur

insuper rem arcanum circumvehitur

insuper semen arbor frondes meditatatur

insuper vitam mors leniter afflat

insuper mortem oculus poetae

insuper poetam verbum secatur

CHIMAERA

rerum insitientes dicent: est chimaera

ingentis christalli proiectio

in media bestiali cavea sita

memoriae insitientes cogitabunt: est chimaera

oculi otium aut per contrarium celerior

fluiditas eius

animale glomus diagonaliter devolvens

declivitate (quartae dimensionis)

amoris insitientes credent: est chimaera

noster animans custos

aut per contrarium est nuptiae horrendae

solaeque

verborum decisorum omnium

verborum insitientes subridebunt: est chimaera

solus

fons qui esse potest

chimaerarum insitientes dicent: est chimaera

sola

veritas quae esse potest

ericius quidam oculo poetae similis

solum animal quod crescit ex prolongatis

desideriis suis

LEMMA

*si est in semet arboris lapsus semen
si est in semet volucris lapsus volatus
tunc est in semet meus lapsus
verbum*

STATUAE

audi silentium meum:

lapis suaviter oratores suos fingit

verbum pronuntiatum recusatio est

aliae dictionis

ARS POETICA

carmina mea in membranis fingo
in ipsa pelle
meum inficio carmen
ideoque carmina mea breviora fiunt
et breviora
acerbioraque
porro in pulmonibus ipsis
iecore cordeque mihi ea scribenda erunt
ut ipse meus palimpsestus sim
tremente manu
a matre
patreque meo scripta
alia carmina
vitales versus
rugae apparent

et cum sciam inutile esse
tamen mea carmina
in mea ipsa pelle
inficere pergo

VOCABULUM MARGINALE

**medicus mihi morbum verborum depellere
cupit**

**auscultat me et „quod sentis” inquit
„quod scis quod dicis quod credis**

**non vocabulum eloquens sed
vocabulum tantum**

**marginale est quod torporem sentit nullum
vocabulum marginale**

non evanescit nisi una cum lingua moriente

quare nihil tibi faciendum

**sentire scire dicere et credere perge
te mederi possumus quovis vocabulo
sed noli a nobis quaerere**

**quod non possumus - vocabulum non
recusatio**

naturae

sed haesitatio tantum est”

CARMEN

verba

adhuc

pulsant

ultimum spiritum trahentia

in carmine meo

sicut ingentis

culicis pedes

quem nuper

in muro fregi

CONIURATI

*equus de herba mihi alloquens
nos ferro cognoscens
rana de aqua canens
nos acie cultri cognoscens
volucer de volatu suspirans
unius post pulvinaris
longum amorem
homo ad hominem
alium ululans
die sperans quadam
mutuo nos agnituros*

UT MEDICUS SUADET

in morbo mea nomina esse

coeperunt

aestuari

languescere

in noctes propter ea sedeo

fervidas eis infusiones paro

formenta pono ventosasque

et tamen saepe nomina in carmina succumbunt

syntactico angore cordis affecta (ad additum

valorem)

nomen aëris aquam pulmonibus

habet

nomen lucis albo laboratur

oculorum

nomen fulvi aurugine

afficitur

in morbo mea nomina esse

coeperunt

paucissima in convalescentiam veniunt

at ego propius iis adeo oblitus

esse contagiosa posse

ZEBRA

uno momento horae

vias omnes relinquite

vacuas

et tunc

crustae viarum

callis affectae

sicut machinalis clavicordi

clipei

sua sponte canent

SCRIPTIO

***vicinum verbum cineraciter mortuum est
post longum gravemque morbum
vocabulum viduatum ad omnes ianuas
mendicat***

***„coronae funestaeque
inscriptionis causa
sicut inter vicinos”***

***manus meas in papyri pastam pango
et stupefactus spectans vocabula duo emitto
duo vulnera inter se osculantia
num vidistis duo vulnera inter se
osculantia?***

***vocabulum viduatum postea
alias fores pulsat***

VERBUM (APUD BORGES)

*nigra larva (reliquiae)litteralis
translucida veste induta
vermis quidam caelestis
aut aliquid repletius vita*

*quasi bracchium quasi
digitorum plena manus
quaedam umbra inter aquas
et qui te rigebit somnus*

*alea quaedam perfecta globus
indifferens libratio
in pupila tempus
fumigans tigris macula spatio*

*modulatus numerus certum datum
nudus pugio aut vagina tantum
inertia carnis divinitas in ore
moriens sitis angore*

*spatii singultus temporis vulnus
sacer amor perversum munus
oris quoddam genus insaturum
quod gradu saepe labitur versuum*

*in filo saltans circensis funambulus
candor glandis e fistula prodientis
guberna castrati fluctus viridientes
arenae liber concavus moribundus*

ANTIPALIMPSESTUS

*omnia scripta sunt haec linea item
eadem vocabula eadem ordo verborum
idem sensus*

*manu premens scribo ut vetus inscriptio rursus appareat
leniter scribo quasi alam papilonis
tergerem*

*(litterarum ossa trabes sunt
singularis caelestis architecturae)*

*vocabula mea eadem effodiunt vocabula
sanguis etiam meus expeditissimum atramentum
sanguinem communem excitat
leniter scribo quasi angelica palpebra colores
verrerem mea singularis scriptio
volvitur*

*circulis idem centrum circumeuntibus
quasi in aetatibus eiusdem arboris
scriberem*

*manu premens scribo inutiliterque
fascinato in speculo*

DE SCRIPTIONE

*pondus quoddam est inscriptum
verbum*

*quod in desertum et in mare
spargens*

*adoror fatis caelestem turbinem
continua immersione scandens*

*a me remansit umbra vobis
venatione facta praeda est divisa
rebellio arenae est agrestis
et scriptio est dulciter decisa*

*** * ***

***solus vela nervos meos torquent
tractus cochleae ferreum pulverem
transiens***

***dulcis imago vana rosae
maturius foliis privatae
foris mimus perfectus canis occisi
murus suos lapides combustos
lambet***

***fenestrae animi violei politae palae
fervidum stercus hortis internis:
quam candida in tenebris vocabula
crescunt***

POETA

poeta animans

semiaquaticus est

(o noli sirenas cogitare)

omnia poetae dicta in

piscis codam

dehiscunt

ille oculis caligatis solus cernit

cuiusque rei lutum (tam suaviter

fervidum

lutum)

ille solus arenam diffidentiae diruere potest

ille solus ascensum et descensum potest audire

nostri communis sanguinis

IUGULUM

scriptio

memoria volucris

quae fueram

*(optime - penna - scribitur -
anseris)*

scriptio

haesitatio venatoris qui

ero

*(caput calami qui patientia furtivi venatoris
avem desuper me
se iactantem
sequitur)*

ALA

vocabulum scribo fere rotundum

sicut aedificat volucris ovum

fere rotundum

**DE POEMATE IN VOLUCRIS FORMAM
REDDITUM**

-scribisne?

-non, laqueos volucris paros

-scribisne?

-non, aviaria volucris paros

-scribisne?

-non, volucrem blandior

ARANEA LUCIFLUA

***O, mundus
candida tela est
et sua rarefacta umbra est
carmen***

MAGNIFICUS CAECUS

tam virilis vultus meus

ut uno momento si

oculos aperirem

aër ipse

germinaret

MYTHUS

*volucris quaedam singularis me
malum credidit
et bis me rostro appetivit
exinde oculis cerno*

CANDOR

**quodvis vocabulum aequale
alterius vocabuli est
haesitatio tantum eorum differt
ante lucem**

RETE

**et somnium tale non esse potest
in me bestiam insiluit unguibus pellem suam
lacerans**

**deinde eam detraxit et meos ad pedes proiecit
vivum rete sanguineum in angulis coagulans
vivum rete nervis contortum pellisque invisam
reddita**

**o, ut vulnera illa nunc exsanguinata ringebantur
o, ut vacua illa nervis coagulata ringebantur
atque omnibus ex vacuis -pavoris nido- oculi
erumpebant**

**rete nunc erat mare oculorum maris ascensu
progrediens**

**monstrum exspectatum sub propria pelle latebat
mille oculos agitabat quoque eorum me
adspiciente**

**quoque me tegente quoad conspectus evanuit
corpus meum exsanguie fiebat caro perlucida
nil aliud eram nisi rete nervorum**

**in litoris arenam demanans
caro mea litus vacuum hominibus erat
medusarum plenum et quisque medusa oculus
erat**

evanuerat ex quo conspectus

POSSIBILIS CANTILENA AD LUNAM

*aut forsitan humiliter cacchinnans
morsus lapidis in aëre aequè*

humilis

tranquilitas somnii mei

absentias

odoratur

conspectus meus raucit tantopere ululans

ad lucem

*manu soleam teneo (dimidia
palpebra)
si insuper eam spirarem
totum magneticum campum ararem
squamis ferreis
quidvis esse potest: gladius pronus
itineris prothesis
vocabulum
etenim hoc est vocabulum ex quo
quadratae paucae manarunt
litterae
clavos pro litteris figamus
ungulam cruci figamus
in genua equum ipsum mittamus
acutiorem conspectui quam lunae falcem
manu soleam teneo (sola perfecta
lamina musica)
per me timor explorat timetque
symphonias
cervix currentis armenti equorum
manu vocabulum teneo (dimidia palpebra
dimidia solea)
sitiens oculus meus
inter digitos demanat*

STATUA

***spectabo te
quoad***

conspectus fiam

SCRIPTIO

timor tantum

ne vocabulum

caecum

reddatur

SCRIPTIO

**vocabul -
iatus temporis
hiatus inter vocabula
candidus morsus aeternitatis**

MAGNUM SPECULUM

*maledictus qui vocabulum fregit
en omnes testas collegi
sed quamquam imaginem restituere conor
primordiale non tamen perficio
versus mei nil aliud sunt nisi rimae
magnum speculi fumigantis*

CALIGO

***materia fere mane spiritus peditum
nocturnorum
incogniti et praelongi et blandiores et
fortasse***

absentes

quis rubeum saeve mordet umbonem solis

absentis

purior lac omnibus sese donans

suffocantes

autumni liquescentes subtilesque cancelli

publicant

corpora

cerea memoria in calvam abscisam stillat

vagantem

***per orbem et unum momentum somnium
conturbat***

visus quintus materiae est status
post superbam reflexionem adamantis
post humilem insidiosamque reflexionem aquae
post vaporem speculum mortis polientem
post flammam sidera secantem
aud fortasse nil aliud est nisi movens memoria
ceterorum statuum sicut equus memoria est

soleae

sicut aqua in poculo memoria est poculi
sicut fistulae fumus memoria est noctis
sicut flamma memoria est ipsa sideris
aut fortasse nihil aliud quam memoria est

memoriae

ceterorum statuum sicut equus memoria

est aquae

aqua memoria est fistulae fumantis atque fumus

memoria est ipsa flammae

visus primus status est materiae

ante flammam speculum polientem

ante mortis vaporem sidera secantem

ante superbam reflexionem aquae

ante humilem insidiosamque reflexionem

adamantis

visus movens memoria est materiae

memoris sui

DICTA IMAGO

*hokusai utamaro una
continua linea
valles descendens montes ascendens
una continua linea
formam ovatam circumdans
mulieris*

*de qua nihil scimus
una continua linea
in vocabulum sese figens
unum continuum vocabulum
flabellum animi statuum
(gradus fere) per quos animus transit*

CAECI

ex hominibus omnibus optime vident caeci
illi auribus vident summisque digitis
naribus

acumineque baculi

ex hominibus omnibus soli caeci sciunt
parabolam caecorum

ex hominibus omnibus soli caeci nesciunt
in magno dolore in magna beatitudine
in amore in cogitatione

nos oculos tenere clausos

ex hominibus omnibus soli nativi caeci
viderunt

ignem primordiale

LECTIO CAECITATIS

*qui dicunt caecitatem quamdam
caliginem in oculis positam esse
numquam oculos perdiderunt
caecitas haesitatio in conspectus est
rerum
intactus quaesitae formae
somnia somnus
et imprimis vanus conatus
mundi molliendi*

*cave illos qui umbram non habent
ex integris fontibus veniunt et illustri
stirpe sunt
innumerabiles sunt perpetueque
alium amici nostri vultum gerunt
plantas puras habent quasi colores
numquam eis locuti sunt nec eas*

Unxere

*et nullus oculi eas ussere color
cave illos qui umbram non habent nam eos non
intelligere
poteris
faciem lapidis aut fracti ignis habent*

*veniuntque ad nostra obliqua
Corpora
regenda ac cubanda*

SALTUS

**ipsam occidens symetriae sitis
cupita sicut ludus puerilis
et ecce vita
quae fines meos inter informitatem et numerum scissos
circumdat
quam ferox somnium expectationis saltus
conspectus memoria vacuus fit et
triumphans signum medio dehiscit
non id temptatione sudoris fugamus
melle operis demanato
nil omnia sunt nisi in orbem
et in confessionem regressio**

**se ipsam occidens symetriae sitis
sicut suavis metus mortis saltus**

conspectus memoria vacuus fit ambulatque

EGO, ICARUS

**vivos homines adeo
sicut et vos moribundos aditis
ut eorum extremas inveniamus voces
susurro leviores
sicut spiritus vaporem
super personam meam faciem traho
sicut et vos super faciem trahitis
personam
et tamen in vicem loquimur subridemus
complectimurque
eadem amamus mulieres pueros eosdem
gignimus
eadem morte morimur
imbecilitas vestra cereas alas mihi imposuit
vultus meos ussit me reddidit amentem
corpus meum lapidibus elisit
et quamquam lucem mihi
eripietis umbra
tamen mihi manet
umbra corporis mei volucrem fingens
meae manus umbra caerulea lux est
demanat sanguis meus
et in verbum contrahitur
doloris haematoma**

PISCATUS

*flumen hoc nihil aliud est quam piscis larva
ingentis*

*centenis milibus minorum piscium peragrati
dum caro eius perlucida reddatur*

*hic pontis pes est os amarum
ingentis piscis*

*haec linea nervus meus absolutus est
perfecta esca piscium minorum*

„mordete

*de me rumpite dum reddar ipse
perlucidus”*

hic vir nil aliud est nisi fluminis larva

IN SQUAMA INGENTIS PISCIS SCRIBO ET LABITUR
VERBUM

UNUM VERBUM EST QUOD INSCRIBO SED
FRANGITUR

ALIA IN VERBA INGENTIS PROPTER RUGAS
SQUAMAE

SCRIBO ET SUBTER ME GEMIT TERRA
QUASSATURQUE

VERBUM SCABO IN INGENTIS PISCIS SQUAMA
TERRA QUASSATUR ATQUE VERBUM IN ALIA
VERBA RUIT

UNUM VERBUM INSCRIBO QUO LATERALEM
LINEAM INGENTIS

PISCIS SCINDERE CONOR UNUM INSCRIBO
VERBUM

JN RJPA

natat piscis sed nescit se natare

ego in ripa sedeo sed scio me natare

volat volucris sed nescit se volare

ego in ripa sedeo sed scio me volare

somniat karundo sed nescit se somniare

ego in ripa sedeo sed scio me somniare

* * *

cum lapides in viso oculos habebunt
quid aliud suos orbiculos
efodiant
certe de nobis contemptim loquentur
magis quomodo
aquatiles res

HORREUM PISCATORIUM

***tam subtile rete aërium
desuper
nos iactum tam largis suis
spatiis
ut ea radios lucis credas
per quos
natans te insinuare possis
uno momento oculus
mollitus
piscatoris satis plangit
ut nos caligine caeci
vagemur***

HAKU

scribere

*modus alius lapidem adspiciendi
super quem transit flumen*

omnes aquae facies aversas
habent
umbris eorum aeternitatem
nostram **imitantibus**
cuiusque rigor aequilibrii
specula
tuo fervido afflatu tremefacit
illa turbidus separationis
spiritus **animat**
imbres obliqui legibus quae
esse non **possunt**
curvantes se ad versas mundi
facies **descendunt**
profunda vulnera per quae
gargarissat **tempus**

DE ABSENTIA CARMINA QUINQUE

I

***nimbi sanctorum floribus veriores
dilectae oblati lumen quoque recusatione fractum
annulos caliginis modulatur
digiti tui soli caeci quaerentes
cicatricem levigantes aëream***

II

***est aliquid lucidius hac luciditate
aërea bulla in chrystallo
vel ligamenta inter chrystalla duo
vel musica chrystallini vasis
tuis digitis tacti caecis quaerentibus
cicatricem levigantibus aëream***

III

***tam ambiguum quam omne vulnus absens
lumen: id solum et verbum
sufficiens sibi
purius quam haesitatio quam inquisitio
haesitationis
stella quoque maculat dicunt labra mea
digitis tuis usta caecis quaerentibus
cicatricem levigantibus aëream***

IV

***imber suave arcanum nostras
verborum alveolas inundans lege
communicantium vassorum: nodi
ventresque tutiores
quam acies cultri aëra lacerans
flores timoris quo solo germinantes
qua mente collecti
digitis tuis caecis quaerentibus
cicatricem levigantibus aëream***

V

***aëreae statuae silentium
strangulantes
et tempus semet devorans
sanctorum
resecans nimbos luciditatem
chrystalli semet figens
aërea bulla cordi iniecta
tam ambiguum quam vulnus
quodvis perfectum
tui terroris ventosae a te
collectae
digitis tuis caecis quaerentibus
cicatricem levigantibus aëream***

LIBRA

qui potest ille germinare sine radice

qui potes resecare virgulam in luce

qui potest perlucide cruor emittere

qui potest perlucidum esse vivum

qui potest vocabulum vocabulum

Esse

GEMMARIUS ROMANTICUS

et somnio interdum de me subtili

adamante

tunc vere aëra secare

possim

et homines cupide continenter

me spectarent

meumque **oculum** triquetrum

ANULUS

**adamantes platinii formam flagitant
aurum ipsum non satis est
res mortis formam flagitant
vita eorum vita mea non satis est
anulus fascinatus digitum meum arripit
me in mysterium trahit atque ego
attenuor
fistulae fumus
anulus ovum iuxta ponitur
aquae novae repleto in calice
meam faciem abluam
frondes tollens omnes
rete oculorum abluam
verba tollens omnia
temporis vulnus
anulus in forma mortis**

SPECULA

*propediem in domo tua crescet arbor
absentiae: argentea
et propter eam fons (dumetum fere
temporum calvorum)
se ipsas occidentes
puellae cum lacteis mammis
suaviter in pavonis oculum
somnum multiplicatum se iaciunt
reversus vitreus medusae oculus
lapideas loricas sibi conflans
et ala diei risu incerto
alita (fissa
sirenis coda faciem tuam
tundens)*

CAMPANA

debilis clipeus pectoris mei unguis luminis
malevolenter cor meum suscitatum rimans
sussurat sanguis amplectitur frigidus
aeris muros placide illos poliens
te campana evelli herbis collapsus
manus arescit mea funis torquenda

CUI

SONAS

mi anime sine mora
sitiens os aëra flagitat
aërque translucidus soporifer est liquor
dormiunt omnes campanae
campanis sepultae

*versus quisque salis vestigium mei
qualis sum
lacrimae similis me vaporanti
una confessione tibi propius adsum
sic minus alieni nosmet sentimus*

*mutue hac nocte aliquid dicamus
duas inter fistulas extinctas*

SIGNUM

Scutum Suum Servans – Stratagema

Subter Solare Stabilimen Silices Subruens

Suaviter Saecularia Sigilla Superspectans

Satane Saxum Stemma Signum Stat

CONSILIA AD VOCABULA PRONUNTIANDA

**quomodo et quando loquimur
en vere bona quaestio
facie oculisque ad solem nullo pacto
per somnum nullo pacto
cum animus corpusque laborantur nullo
pacto
lacrimis morbo sudore perfusi
post stabula nullo pacto
cum latrant canes catenis strangulati
lanam cum pectimus torquemusque
panem cum deprimimus coquemusque
cum loquimur magna cura simus
ne glandem de caelis mittamus
vel aliam rem domine nos protege
cum loqueris ne piscem squames
ne ubera sicces
ne alveum evertas
ne lignum resonantem foedes
ne falcem acuas
ne mensam convertas
cum pluit
cum gallina ova ponit
cum mulier primum parit
cum plangit puer cum castigat pater**

***cum loqueris semper aliud quam te ipsum
cogita
et ante oculos digitos explica
quasi magno raroque pudore afflictus
sic pulchrum verum optimumque est
ne feras ginis pruinam
neque superciliis farinam
animo pleno picis
ne loquaris principio diei nec fine anni
noli de cantu loqui de incantatione
de ventre
ne capite geras pileum pileolum aut
cucullum
nam lingua redditur in boletulum
cum loquimur si loquimur
de vocabulo quasi de arcano cogitemus
cum loquimur de ore cogitemus
ne quasi de sorde dicamus
sed quasi de vulnere agamus***